

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Joachim Hasper

**Dissertatio inauguralis medica sistens Observationes aliquot medicas**

Rostochii: Litteris Adlerianis, MDCCCIX.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1007200049>


Druck    Freier  Zugang





OCR-Volltext

RU med. 1809

Hasper, Jo. Joach.







Dissertatio inauguralis medica

sistens

Observationes aliquot medicas,

quam

pro impetrando

in Accademia Rostochiensi

gradu Doctoris

examini publico submittit

auctor

*Joannes Joachimus Hasper,*

Pomerano - Rugiensis,

Chirurgus olim navalis nunc provincialis  
in insula patria.

---

Rostochii

Litteris Adlerianis

MDCCIX.



---

I.

*Observationes de Dysenteria putrida.*

---

§. 1.

Morbum hunc in gravi ejus epidemia, quae Caroli-Coronae in Suecia anno MDCCCLXXXIX inde a mense Augusto usque ad mensem Martium anni sequentis grassata est et duodecim millia hominum affecit, ipse in plurimis exemplis observavi. Composita itaque est sequens morbi atrocis descriptio cum sequelis ejus et cura ex propriis observationibus, quas Medicorum celeberrimorum suffragiis locupletare omnino e re fuisset, sed a Bibliothecis publicis nimis remotus illorum scripta consulere non potui, licet ex hoc fonte multa utique alio tempore ad scopum meum edoctus sim.

1\*

§. 2.

§. 2.

Dysenteriae nomen fert morbus ille, qui levi plerumque febri comitatus, cum crebris, sed exiguis alvi excretionibus, tenesino et torminibus conjunctus est. Inter varias hujus morbi species, illam, quae putrida jure vocatur, considerandam ergo mihi hic sumo, attentione sine dubio eo digniorum, quo majori in genere slipata periculo vitam infestat, contagio suo totas provincias inquinat, et naturam fere pestilentem subinde acquirit.

§. 3.

Pravum istud mali genus commode in tria stadia distingui potest, quae vero non accurata temporis serie sunt definienda, sed ex symptomatibus patet. Non dico, morbum semper omnia haec stadia percurrere, quippe qui jam in primo potest finiri, quamvis ejusmodi casus inter rariores est referendus, nec sperandus, nisi aegro viribus nondum exhausto, tempestive satis aptam medicinam adornaverit artifex.

§. 4.

*Stadium primum.* Cum levi febri conjuncta sunt symptomata gastrica bilioso-putrida: caput vertiginosum cum dolore obtuso frontali, anxietas praecordiorum, fapor amarus putidulusque, magna fitis

fitis, conatus vomendi, ipsi vomitus, flatus et borborymi, dolores vagi artuum, linguae siccae color rubellus, cutis sicca, subinde singultus, non adeo mali tamen nunc ominis quam posthac etc.

Accedunt his symptomata dysenteriae characteristica :

- a) frequens desidendi nifus cum parco vel nullo effectu;
- b) tormina plerumque fedes brevi antecedentia;
- c) tenesmus magnopere molestus, non raro, maxime in infantibus, cum intestini recti prolapsu;
- d) regio epigastrica tumidula a tactu dolens;
- e) excrementorum color varius nunc subniger, nunc subfuscus seu subalbus, quasi particulae materiae cuiusdam pinguis essent immixtae, sanguinolentus. Eorumdem foetor insignis, contagione suspectus.
- f) Difficulitas quoque urinae, tenesmus vesicæ, quae vel stranguriae, vel dysuria, vel ischuriae nomine veniunt, aegrum afflictant.

§. 5.

*Stadium secundum.* Quod serius aut citius intrat, prout aeger tractatus fuerit, item secundum ejus constitutionem et alia, quae influxu suo corpus afficiunt. Praeterea admodum illud acceleratur,

tur; ubi æger inquinamentis aliorum dysentericorum expositus est. Tum, robusto etiam corpore gaudens, quarto vel quinto jam die in hoc stadium incidere potest.

Cujus comites sunt omnia symptomata debilitatis atque putredinis, ut: ardor mordax; pulsus parvus, celer et irregularis; arteriarum temporaliuum interdum vehemens pulsatio, in carpo contra pulsus minor; angor violentus; eximius languor; manuum tremor; demissio animi; oculi turbidi et languidi; gemens respiratio et delirium; æger impatiens decubitus consueti ad pedes delabitur, contrahitur, manusque inordinate movet, plumas quasi de lecto colligens, floccosque venatur. Expers sensus vehementia quidem torminum ad effundendum dolorem compellitur, sed torminibus sedatis in torporem recidit. Dormire quidem videtur, sed palpebris modo semiclausis. Confusa loquitur et haud intelligibilia, quamvis mens acclimationibus per momentum excitetur. Lingua siccissima, persqualida, fusca, et fissa, labia sordida et dentes squalore operti. Halitus foetidus calidusque. Oculi subflavi humore tenaci obducti sunt. Nec non totum corpus terra aut cinere quasi conspersum est. Manus in dorso frigidae, in vola-

con-

— 7 —

contra et carpo calore mordaci ardent. Cutis semper sicca, in temporibus saltem et collo sudoris putridi aliquid erumpit. Alvus et urina olidissimae, cadaverosae. Nunc raro indicat aeger desidendi conatum, quamobrem custodes vigilare curatius debent, ut aegro terminibus dolorem exprimere coacto, at propter nimium languorem lectum relinquere impedito, tempestive assistant. Urina saepe inscio aegro profluit, saepe retinetur, ita ut applicatione catheteris opus sit.

In hoc stadio singultus augentur, et saepius subsultus tendinum observantur. Inter potandum strepitus audiuntur. In coccyge, regione ossis sacri usque ad illam vertebrarum lumborum a decubitu excoriationes nascuntur facile gangraenescentes, quod excretorum acrimonia et dissolutione humorum putrida universali valde acceleratur. Frequentes ad parotides fiunt metastases, bono plerumque omine. Hoc stadium certis diebus inclusum non est. Etsi symptomata dysenteriae characteristica saepius jam cessaverint, aeger tamen per plures hebdomades manet in statu debilitatis atque putredinis, donec morbo medela aut mors finem imponit. Fieri etiam potest, ut haec omnia conjunctim letum adferant.

## §. 6.

*Stadium tertium.* Omnia praecedentis stadium symptomata ad summum gradum increscent. Praeterea haemorrhagiae narium, urina sanguinolenta, gingivae cruentae etc. compaginem laticis vitalis liquatam designant. Sanguis hinc effusus tenuis, pallidus, putidus. Lingua, labia et fauces obductae sunt aphtis, quae et in ipsum oesophagum et ventriculum descendere videntur. Unde deglutitio maxime est molesta, atque oesophagus omnem motum recusat. Cutis petechiis foedata, forma et colore variis, maxime lividis. Singultus et subsultus tendinum frequentius corpus percullenit. Loci cubando pressi, et quibus vesicatoria imposita fuerunt, cito gangraenescunt. Interdum etiam subito sphacelus in naribus et labiis prorumpit. — Morbo eousque progresso, rarissime aeger evadit. — Appropinquate morte abdomen intumescens, preterismus dicitur, sphacelum denotat intestinorum, unde dolores omnino cessant; excrementa cadaverosum odorem spargunt totumque corpus foetet; saepe foetida, subfuscata et sanguinolenta ex ore profluit spuma; extremitates frigescunt assidue singultus audiuntur; facies hippocratica horam fati extremam praenunciat. Saepe in-

insequitur demum adhuc copiosa alvi dejectio, sphacelum intestinorum effecta.

§. 7.

Causa dysenteriam excitans, praeter contagium, in primis in repressione consistit transpirationis. Potissimum ideo dysenteria exoritur illo anni tempore, ubi calores diurni iisque humidi frigore vespertino et nocturno excipiuntur et homines huic expositi aut neglecto apto regimine aut vestimentis sufficienter non tecti perspirationis retentioni violentae occasionem praebent. Unde dysenteria adeo facile disseminatur inter milites, qui, durante expeditione bellica, insuper nocturna in lecto requie carent, qua transpiratio intercepta facilius restitui et ita malum praecaveri potuisset.

§. 8.

Ad morbum procreandum et propagandum contribuunt et disponunt maxime calamitas generalis et inde orta alimentorum salubrium penuria; carnes rancidae et aquae putidulae; potus frigidus, corpore fervente ingestus; somnus in nuda humo; aer humidus, impurus, et exhalationibus dysentericorum inquinatus; commercium cum ejusmodi aegris; infectionis metus; vita dissoluta, ebriosa, libidinosa; cibi et potus in aegrorum confortio assumti;

sunti; vires corporis exercitio, venere etc. fractae. Seria consideratione digna videtur singularis aëris dispositio gignendae dysenteriae maxiime epidemicae ita favens, ut alio tempore nec transpirationis suppressio nec aliae ex causis occasionalibus adductis eundem producant effectum. Fusius haec omnia apud auctores legas, qui illum morbum ex omni parte plenissime describendum sibi sumserunt.

### §. 9.

Morbus vel crisi per urinam sedimentosam, sudores, diarrhoeam, solvitur, vel lyssi sensim disparet. E contrario gangraena et sphacelus scenam morte claudit. Crises in primo stadio praecipue locum habent, in secundo metastases in parotides dubiae fidei sunt.

### §. 10.

Bono augurio dolores gradatim diminuuntur, excrementa et ad quantitatem et ad qualitatem naturalem redeunt, ac globulis compactis mixta minus foentent, dysenteria quoque mutatur in diarrhoeam feculentam criticam. Porro tota corporis superficies naturaliter calet et sudor denuo erumpit; urina deponit sedimentum, lingua pura fit atque humida, sitisque minus urget. Malum vero exitum morbus portendit, ubi omnibus prudenter

et

et caute adhibitis remediis symptomata non modo non minuuntur, sed potius magis intenduntur; ubi putredinis et debilitatis nervorum status, in secundo stadio descriptus increscit, atque ubi in isto stadio observatae parotidum metastases, tunc sanitatis spem præbentes, rursus evanescunt; viribus quippe semper magis corruentibus, locum servare non possunt, sed, dum morbus ad tertium stadium progreditur, in quo humores jam sunt soluti, quasi simul dissolvuntur, ita ut virus, quod iis inest, in totam corporis massam irruat.

Numquam fere, rarissime saltim, morti resistit hic morbus, summum quando attigerit gradum, in quo æger omnis sensus dolorum et impressionum externarum paene expers excrementa cadaveroso odore olientia mittit similemque foetorem ex toto corpore exhalat, partes ejus exulceratae gangraenam indicant; crebraeque haemorrhagiae et omnia in secundo stadio enarrata symptomata exasperantur.

### §. II.

In curando hoc morbo pluribus indicationibus satisfaciendum est.

Prima est, materiem peccantem, quam fieri potest, celerrime evacuare. Quo citius vocatur

medicus, eo magis aegroto prodesse potest explendo hanc indicationem. Namque dum morbus pri-  
mum stadium nondum transgressus est, in stomacho et visceribus haeret adhuc contagium, quo celeriter expulso, vis morbi egregie frangitur. Confestim ergo emeticum ex Ipecacuanha aegro porrigitur. Tartarus emeticus propterea minus convenit, quod tormina augere solet. Quo plures fordes eductuntur, eo melior inde effectus est sperandus. Et si post aliquot dies molestiae circa epigastrium, sensus ponderis in ventriculo, naufaque iterum urgent, sine dubio emeticum iterari potest. Tribus vel quatuor horis post vomitum elapsis, purgantia, ne tempus perdatur, adhibenda sunt. Laxantia, cum celeri evacuatione opus sit, propter effectum tardiorem minus convenient, quoniam faburra post vomitum residua facile intumescit et majorem acrimoniam acquirit. Quare Tamarindis, Mannae, Cremori Tartari etc., praferenda sunt Rhabarbarina, folia Sennae, Sal Sedlicense etc. Remediis oleosis, ut oleo ricini, linique licet virtute sua involvente arrideant, fidendum non est, cum vel rancorem jam contraxerint, vel a fordinibus praecordiorum facile illum adsciscant.

Formulae sequentes commendandae videntur:  
Rx Aquae laxat. Vienn. Unc. quatuor; Salis Sedlic.  
Unciam dimidiā; M. D. S. Quavis hora duo  
cochlearia. Vel: Rx Pulveris rad. rhei optim.  
Drachmas tres; Florum Chamom. vulg. Drach-  
mas duas; coq. c. aquae commun. Unciis octo;  
Colat. uncias octo admisc.; Salis Sedlic. Drachm.  
tres; D. S. Quavis hora cochlear unum.

Dosis praescripta aut augetur aut minuitur,  
quo intentioni medici satisfiat, dysenteriam in  
diarrhoeam mutandi, unde plerumque magnum  
morbi lenimen sequitur. Id quod vero non nisi  
in primo morbi stadio expectari potest; sed, et  
ipso debilitatis statu jam incipiente, haecce reme-  
dia non prorsus repudianda sunt, quamvis cautius  
et longioribus intervallis propinanda, ita ut eorum,  
quibus cinnamomi corticem addere expedit, quoti-  
die Doses saltem aliquot exhibeantur, ad eliminan-  
das fordes putridas, quae continuo vires prosternunt  
atque vim morbi adaugent.

§. 12.

Ad corrigendam acrimoniam, ut alia postu-  
lat indicatio, decoctum ex granis avenae sive  
hordei decorticatis, ut et solutio Gummi Arabici  
aut radicis Salep, propter qualitatem leniendi et in-

volvendi semper et copiose adhibenda sunt. Quibus addantur acida vegetabilia, ut acetum, vinum sal Tartari essentiale, item succi fructuum acidorum et inaturorum expresli. Vomitum peracto statim harum ptisanarum sufficiens copia aegroto bibenda praescribatur. Quo magis urgent putredinis signa, eo largius acida admisceantur potui ordinario. Ab acidis vero mineralibus, ut nimis acribus torminaque augmentibus, abstinendum esse censeo.

In hoc stadio secundo serum lactis vinosum remedium praestans et cum ptisanis antecedentibus alternatim aegro porrigendum est.

### §. 13.

Symptomata perpetua et quae plurimam molestiam creant, tormina sunt atque tenesimus. Contra haec remedii specifici famam consecuta est vel pura data, vel opio juncta nux vomica, cui soli etiam dysenteriam sanandi vis tributa est. Ad remedia necessaria pertinet opium, sed caveas, ne hoc interne adhibeas prius, quam in exturbandam faburram omnem impenderis operam. Dysenteriam charactere putrido contaminatam esse ubi constat, neglecta hac praecautione, acres humores in primis viis incarcerantur citiusque irrumpit nervoso-putridus status. Opium primis diebus in

sum-

fumnum nonnisi in clysmatibus aut alia externa applicatione locum habet; e. g. cum camphorae Drachmis duabus in ol. cham. et hyosc. coct. ~~ad~~ uncia una semis solutis, quibus additur tinct. theb. unc. diuidia, ad inunctionem repetitam abdominis. Qua facta abdomen cataplasmate ex sem. lini et herb. hyosc. cum lacte parato tegitur in magnum ægri solatium.

Parti aut loco, ubi dolor atrocissime saevit, rubefaciens ex aequalibus partibus emplastri vesicatorii atque Oxycrocei compositum, imponitur, mox vero removendum simulatque cutis rubescit. Qua methodo gangraena praecavetur, quae in ejusmodi statu typhode quainvis partem laefam illico corripit.

Tenesimum lenit Opium clystere injectum. Quem in scopum clysmati ex juscule avenae decorticatae, decocto amyli, cum gummi arabico vitello ovi aut oleo olivarum non rancido parando guttae circa quadraginta tincturae Thebaicae adduntur. Ad retinendum diutius ejusmodi clyisma, parca tantum quantitate injiciatur.

Leniendo tenesmo cataplasmata ex incisis pa-  
nis albi atque herba hyosciami, cocta in lacte, pre-  
parata anique orificio imposta, etiam serviunt.  
Spongia lacte imbuta et injectiones ex mucilagine

feminis cydoniorum pariter egregie prosunt. Signis  
sordium gastricarum dispulsis nux vomica opium-  
que tutius ad tenesmum et tormina mitiganda ad-  
hiberi possunt. Nihilominus evacuantia pro re-  
nata vel in progressu morbi non prorsus postha-  
benda sunt, ad causam, quae alit praecipue mor-  
bum, continuo debellandam. Pulvere nucis vo-  
micae nauseoso et difficilius subigendo praesiat ex-  
tractum, quod opio nuptum simul urinae molestias  
temperat.

#### §. 14.

In id praesertim jam incumbamus, ut per-  
spiratio cutanea omnimodo adjuvetur, partim in-  
fusis florum Sambuci et chamomillae, partim te-  
gumentorum fotu, dum interea caute vitentur, quae  
illam impediunt aut reprimunt. — Pulsus mollis  
et undosus cum sensu punctionis in cute et inqui-  
tudine quadam corporis sudorem criticum praenun-  
ciat, qui follicite potibus tepidis et curatius cor-  
pus tegendo sustentetur. Vase supposito caveatur,  
ne aeger alvum exoneratus e lecto surgat.

Paulatim erumpens levans sudor in hoc morbo  
persalutaris et pro optima crisi habendus, sed non  
nisi in primo stadio expectandus est. Quem autem  
intempestive et violenter nec elicere nec urgere  
debes

debet Diaphoreticis stricte sic dictis, quippe quae  
aegrum valde angere et irrequietum reddere solent,  
ita ut stragulas et vestimenta morose rejiciens su-  
dori reprimendo amplam praebeat occasionem.  
Eo magis convenit hoc tempore modica dosis opii  
ante noctem sumenda, quae quietem et somnum  
alliciendo salutaris eruptioni sudoris egregie favet.

§. 15.

Diaetam quod attinet, deficiente appetitu  
mucilaginosae potionis praedictae, ex oryza, Sago  
etc. compositae acidisque vegetabilibus mixtae  
abunde largiuntur nutrimentum huic rerum statui  
aptissimum. Eadem grana farinosa in forma ci-  
borum solidiorum parata, optimum aegro praebeant  
nutrimentum, cum morbo remisso appetitus redit,  
ubi etiam paululum vini generosi illis addere con-  
venit. Fructuum horaeorum satis maturorum  
moderatus usus quidem permittendus, nimius autem  
quo tormina excitantur atque augentur, interdi-  
cendus est. Victus animalis quicquid obstrepant  
Browniani, in genere, fervescente morbo, et ab  
aegro repudiatur, et naturae mali repugnat. Sed  
in fine hujus apprime convenient, quos animalia  
suppeditant cibi, utpote viribus reficiendis emi-  
nenter inservientes. Jura carnium, pinguedine

caute separata, cum carne mollissima, examuslim nunc prosunt, item vini vetustioris cyathus, aut cerevisiae bene fermentatae humuloque affatim conditae haustus.

Sequitur regiminis brevis descriptio, quod ad avertendum morbi periculum illumique feliciter profligandum rigorose observari debet.

a) Cubiculi, quo aeger repositus est, aér sit purus, siccus, quotidie renovandus ventilatoribus, fenestris apertis, ea tamen cum cautela, ne aér irruens aegrum laedat, flamma ex ligno, baccis juniperi aliisque lignis aromaticis, aceti, acidi Nitri, salis, sulphuris vaporibus iustratus. Tempore hiberno, frigido, nosocomium probe calefactum sit, nec tamen nimis, ne calor excedens aegrūm offendat, febrium incendat, transpirationem supprimat. Cubiculum quoque diligenter ab omni spurcitie mundetur et quaquaversum spergatur acetō vini.

b) Post quamlibet evacuationem excrements statim removeantur.

c) Stragulum crinibus farctum, aegrotoque suppositum, cubile optimum praebet; pauperibus culcita foeno five stramine repleta sufficit, quibus excoriatio a decubitu efficacius impeditur. Quem in

in finem prodest simul e corio paratum crinibusque  
seu foeno farctum subdere pulvillum, cui dorsum  
aegroti proxime incumbit.

*d)* Simulac regio ossis sacri hinc inde rubescit, loci excoriati iterato succo Citri, aut spiritu vini vel ipsa aqua frigida laventur; id quod tamen confessum nec nisi per aliquot temporis momenta fieri debet, corpore non sudante.

*e)* Facies, manus, collumque saepius sponsa, aceto calidiusculo aquave imbuta, abluantur celeriterque post resscentur.

*f)* Aeger ad alvum deponendam haud e lecto surgat, sed excipulum paulo calefactum eo fine ipsi submittatur.

*g)* Lintea atque tegumenta excrementis conspurcata sine mora cum mundis, probe siccatis et calefactis permutentur; quae cuncta quidam in nosocomiis saepe multis difficultatibus premuntur.

### §. 16.

Ad vires labascentes erigendas statimque putridum corrigendum praecipue medicus sedulo advertere debet animum, licet simul negligenda non sint, quae tormenta et tenesimus exigunt auxilia, nux vomica puto et opium. Viribus magnopere dejectis symptomata dicta admodum levia esse

possunt. Sed evacuantium usus multo minus nunc locum habet, quam in primo morbi stadio, ubi miasma tubo intestinali adhuc inhaeret et meliori tunc virium conditioni illa nondum adeo adversa sunt. Enimvero usus rerum docet, ope remediorum illorum mature fatis exhibitorum transitum morbi ex primo stadio in secundum non raro praepediri posse, quod quidem in nosocomiis magno aegrorum numero resertis propter aërem infectum aliaque impedimenta vix ac ne vix quidem removenda rarius contingit.

Praecipua itaque, quae nunc indicantur remedia, nervina, excitantia et antisepтика sunt, inter quae sine dubio primas tenent cortices peruvianus et cinnamomi, flavedo corticum aurantiorum, radix valeriana, serpentariae virginianae, moschus, naphtha Vitrioli, vinum generosum ac cerevisia concentrata. In eligendis et adornandis hisce remediis medicus caute et prudenter respicere debet ad gradum et statum morbi in singulis aegris plus minus diversum, itemque ad euphoriam et alia, quae formam morbi varie mutant. Ratio etiam habenda est conditionis aegri domesticae, ita ut carioribus medicamentis alia minoris pretii substituantur, chiae radix calami aromatici, vino ce-

revisia etc. Sequentes formulae praeferunt mihi  
in usu fuerunt: Rx Cort. peruv. opt. Unc. duas  
contus. coqu. in aquae communis q. s. sub fin. adm.  
flaved. cort. aurant. Unc. un. semis, pulv. rad.  
serpent. virg. conc. drachm. tres, colat. unciar. se-  
decim. d. Rx Cort. peruv. opt. unc. unam coqu.  
in vini gallic. opt. sub fin. inf. cort. cinnam. conc.  
drachmas duas, rad. valer. sylv. cont. drachmas  
tres. Colat. unc. sedecim d. Rx Cort. peruv. opt.  
Unc. dimid., rad. calam. arom. unc. un. c. c. coqu.  
in aqua fontan. Col. unciar. decem d. Cuivis dosi  
instillentur sequentium guttularum numero sedecim  
ad octodecim: Rx Naphth. vitrioli drachmas quin-  
que cum dimidia, tinct. theb. drachmas duas cum  
dimidia. — Opium hic in duplo respectu valdo-  
pere convenit, excitante et anodyna virtute sua.  
Cum nervi vero abusu ejus male affiantur, caveas  
a protracta nimis ipsius applicatione nimiaque dosi.  
Vini generosi aut cerevisiae optimae notae potus  
largiter concedendus est, alternandus cum potio-  
nibus acidulis, inter quas eminet serum lactis vino-  
sum.

De moscho verbum addo. Propter eximium  
ejus pretium rarius praescribi potest, licet ad pre-  
stantissima nervina pertineat. Ubi usus ejus per-  
missus

missus est, larga dosi v. c. octo ad decem granorum omni hora propinetur aegro, qua vis vitae mire resuscitatur. Suppono, moschum esse genuinum optimaeque indolis.

Inter humeros et ad suras simul rubefacientia applicantur, cum illa vero cautione, ut cutem leviter saltim irritent nec vere exulcent, unde in hoc rerum statu facile sphacelus metuendus est. Ad hunc finem obtinendum brevior mora vesicatoriis in cute nec nisi usque ad primam sensationem lenissimae irritationis concedenda est. In casu fluoris aut delirii omni ad minimum quadrante horae cutis, cui vesicatorium impositum est, explorari debet, et vel minimo ruboris vestigio detecto emplastrum removendum est.

Calidae ex herbis aromaticis fomentationes cum vino seu aqua coctae, atque manibus pedibusque et collo circumdatae ut adjuvantia saluberrima consideranda sunt.

### §. 17.

Intestina denique morbo valde debilitata corroboranda sunt, cui scopo extracta amara maxime inserviunt, ut extractum Quassiae, gent. rubr., cort. aur. zliaque. E. gr.  $\beta\epsilon$  Extr. quassiae, cort. aur. gent. rubr.  $\hat{\alpha}\hat{\alpha}$  dr. duas; solv. in Aqu. menth.

pip.

pip. cinnam.  $\frac{aa}{2}$  unc. quinque, liqu. anod. min.  
Hoffm. drachm. duas. D. S. Quater aut sexies in  
die cochlear. Seu:  $\frac{B}{2}$  Cort. per. opt. unc. un.  
semis, cort. aur. rad. gent. rubr.  $\frac{aa}{2}$  unc. un. In-  
fund. in vini gallici libra una. Stet in dig. per tres  
dies. Col. D. S. Saepius cochlear.

Huc quoque pertinet infusum quassiae, ob-  
vilius pretium commendabile. Cujus cuilibet dosi  
viginti guttae essentiae corticis aurantiorum seu gen-  
tianae rubrae addendae sunt.

Diaeta bene nutriendis sed concoctioni lentae et  
difficili probe accommodata ad hunc scopum simul  
plurimum facit. Cibi moliores solicite masticandi,  
parca copia at frequentius aegro praebendi sunt.

### §. 18.

Praemuniendi quoque aegri sunt a periculo  
ejusdem morbi recidivi. Quod quidem sequenti  
modo tutissime poterit obtineri:

- 1) Omnes cubilis partes ac vestimenta aegroti  
frequenter sunt renovanda.
- 2) Totum corpus aceto calido et aqua la-  
vando, sordibus adhaerentibus liberetur, sed ca-  
vendum refrigerium.
- 3) A commercio cum pluribus aegris eodem  
morbo

morbo infectis aëger separandus, et in alio cubiculo seorsim collocandus est.

4) Juvanda transpirationis causa aeger adhuc per aliquod tempus in lecto retineatur.

5) Cubiculi aër purus sit, nec nimis calidus. Excrementa statim removenda sunt.

6) Lecto relicto, reconvalescens vestimentis caute muniatur adversus aëris injurias, fugiatque locos infectos, nec non per plures hebdomades intemperiem aëris tam matutini, quam vespertini aliumque quemvis frigidorem et humidum.

7) Transpirationem levantem patienter in lecto absolvat, priusquam surgit.

8) Caveat ab indigestione et repletione quaunque.

9) Medicamenta ad restituendum intestinorum tonum idonea assiduo propinanda sunt.

### §. 19.

Tractationem chirurgicam hic morbus requirit:

a) in exulcerationibus regionis ossis sacri et coccygis, quae, dysenteria putrida diutius protracta, ita se extendere solent, ut ad vertebraes dorsales usque penetrent, quod quidem in secundo et tertio morbi stadio tuum maxime accidit, ubi cautelae supra da-

datae neglectae sunt. Ino ossa ipsa demum corrōdunt sphacelum cariemque creant. Licet ob acrimoniā excrementorum ac urinae excoriationes prorsus impediti paene nequeant, tempestiva tamen cura mali progressus multum impediti possunt, cui scopo primo loco inserviunt prompta et assidua mundities, frequenter repetita mutatio linteorum et situs aegri, et quae praeterea alibi fusius descripta sunt.

Partibus sphacelo correptis corrupta a sanis secundum artis regulas separanda sunt. Quem ad finem scarificationibus latenti ichori exitus et fomentationibus frigidis ex corticis peruviani et myrrhae decocto vino parandis aditus procurandus est. Cortex quercus vel salicis vino coctus chiae carioris locum egregie supplet. Fomentationes frequentius in die reiterandae, ichor redundans interea diligenter spongia molli abstergendus, et partes corruptae, a sanis solutae, removendae sunt. Scopo insimul optime respondet, pulverem chiae et myrrhae locis incisis inspergere, nisi pretium nimis carum hujus medicinae usui obstet. Repeti hoc debet ante quamvis fomentationum renovacionem. Simul atque statu aegri in melius verso ulcera puriorem aspectum praebent, cute sphacelata ubique

ubique soluta et rejecta, unguento DEUTII \*) bis in die diligentur, quod adeo medelam perficit, si os nullum carie infectum est.

Quum autem vires valdopere dejectae sanie profusione et suppuratione magis adhuc consumantur, omnimode medicamentis et nutrimentis idoneis sustentandae sunt.

*b)* Metastases parotidum pariter opem chirurgicalam postulant. Quae, quamvis multos dolores causant aegroto, et, ut consanevant, permultum temporis requiruntur, tamen sustiviendae et figendae quasi sunt; in solo secundo stadio natae (rarissime in tertio) benignam quandam crisin designant et semper fere spem sanitatis perfectae praebent, si permanent in loco, quem occupant. Quem in finem vinum, cort. peruv. etc. adhibenda sunt, ut

ne-

\*) Rx Cer. citr. Unc. sex

Ol. oliv. libr. un.

Sev. hirc. Unc. tres,

Leni igne liquifact. adm.

Pulv. subt. lap. calam. unc. quatuor

Cinnab. fact. pp. drachma un.

Probe mixtis tandem adde

Camphor. drachmas duas.

ne vires ad sustentanda haec naturae conamina  
deficiant.

Medicus, simulatque in hac vel illa parotidis glandula prominentiam conspicit aliquam, vel indurationem, magis intus latenter, tactu sentit, extemplo cataplasmata emollientia, irritantibus rebus, ut caepis, allio, sinapi etc. mixta, admoveat. Quo facto, ubi XXIV horis praeterlapsis locus nondum altius eminet, sed magis extenditur, magisque rubescit et dolet, emplastrum ex aequalibus partibus emplastri vesicatorii et oxycrocei compositum imponatur, nec prius removeatur, quam rubor magis excanduit. Tum cataplasma emolliens iterum applicandum est et quam primum fluctuatio ullo in loco percipiatur, abscessus ibidem sine mora aperiendus est.

Ad promovendam vero glandulosarum partium suppurationem, quae gradu lento procedere solet, tantillum lapidis infernalis praecimenti loco applicetur, emplastro, et huic super imposito cataplastate, denique tegendo. Tumore magis mollescente, incisio dilatetur, generatimque omnes partes incidentur, in quibus fluctuatio percipitur.

Tum deligetur abscessus unguento digestivo vel basilico, cui initio tantum aliquid pulveris can-

tha-

tharidum admixtum est, demum emplastrum diachyl. cum gummatibus imponatur.

Cataplasma superimponendum tamdiu continetur, donec omnis tumoris duries emollita est et solum unguentum digestivum atque emplastrum Diachylon compositum tum sufficit. Pus malignae principio indolis quem ad ossa prolapsum facile illa corrumpat, omnes sinus sedulo indagandi et sectione aperiendi sunt. Interdum fieri potest, ut pus ad musculos colli, quin ad musculum pectoralem majorem, devolvatur, id quod quidem partim incisionibus, partim spleniis collo applicatis tempestate impediendum est. Accidit etiam, ut pus deflu-xum ad meatum auditorium internum directionem suumat, ibique ossa corrodat, unde organo auditus foeda carie destructo surditas insanabilis nascitur. Haec aliaque mala plerumque maturo puris exitu praecaveri possunt. Ante puris evacuationem non nunquam fauces cum ipso larynge inflammantur, ita ut deglutitio et respiratio inde valdopere laedantur. Cui malo admodum molesto et dolorifico gorganismatibus et injectionibus occurrentum est.

Inter haec restitutio virium omnimode diaeta et medicamentis congruis promoveri debet.

§. 20.

*Morbi secundarii.*

Pertinent hoc maxime diarrhoea habitualis et rheumatismus chronicus.

In illa tinctura rhei primo loco apta medica est. Praecipue vero diaphoresi pulvere Doveri vel tinctura thebaica ante cubitum sustentandae cedere solet. Denique infusum quaffiae convenit. Adjuvanda haec sunt potu mucilaginoso, et victu concoctu facili. Postremo extracta amara, tinctura aromatica, cortex chiae limatura martis, alia, curam absolvunt.

Rheumatismus chronicus pertinaciter saepe cuivis medicationi diu resistit, nisi aeger per aliquot adhuc hebdomades perspirationem in lecto adjuvet. Plerumque malum illud in extremitatibus figitur, et aliquando quoque febri conjunctum est; quae neglecta paralyssi nascendae subinde ansam praebet. Praeter regimen diapnoicum antimonialia, gummi guajacum, Camphora etc. praesidio sunt, dum simul partes affectae linimento volat. camphorato unctae panno laneo involvuntur et vesicatoriis quoque vel cortice mezerei demum irritantur. Nonnumquam praefstat illas spiritu discutiente e spi-

ritus sal. ammon. vin. & unciis duabus et tincturae  
canthar. uncia dimidia parato lavare.

In gravi epidemia, quae anno MDCCLXXXIX  
inde a mense Augusto usque ad mensem Martium  
annii sequentis Caroli-Coronae grassabatur, egregium  
usum habuit Extractum aconiti, aut forma pulveris  
a grano dimidio ad unum cum saccharo tritum,  
dosin augendo ad grana decem, ter in die, aut  
forma guttularum, ad praescriptionem cel. Richteri,  
quae extracti hujus drachmam dimidiad solutam  
habet in Vini antim. Huxh. uncia una.

Praeterea thermae sulphureae valdopere  
profund.

## II.

*Hydrops post Scarlatinam cum sphacelo  
scroti.*

Die Junii undecimo anni 1802 ad Nicolaum Hauemann, rusticum in pago Medderitz, annum XXXI. agentem, vocatus sum. Scarlatina tunc temporis epidemica erat, multosque, praesertim inferioris fortis homines, partim ipso hoc morbo, partim malis originem inde trahentibus, e medio sustulit. Noster homo scarlatina quidem defunctus est, sed medici consilium spernens inter desquamationem aëri, illo tempore imprimis circa vesperam valde aspero, sese exposuit, unde in hydropeim, ut fieri solet, incidit, verum insolito more, idque, ut ego quidem suspicor, propterea, quod, antequam scarlatina laboraret, plures jam per annos infarctibus abdominalibus vexatus fuerat.

Ab alio iam medico arte et experientia eximio ob inobedientiam atque impatientiam derelictus tandem ad me confugit. Ductus misericordia ad eum me contuli, quamvis invitus. Quid enim

enim mihi sperandum erat, cum medicus ille me longe peritior homini obstinato prodeesse non potuit? Status longe miserrimus erat. Hydrops jam multum increverat, praesertim ascites. Omnes extremitates ad motum ineptae; ab assiduo decubitu sphacelus regionem inter os sacrum et lumborum vertebraes eorripuerat, et, quod aegrotum in primis ad opem meam implorandum compulerat, totum scrotum quoque sphacelo erat infectum, nec scrotum solum, verum etiam utriusque inguinis regio, ipso tamen virili membro integro. Quare me consulere quidem sibi proposuerat, medicamenta tamen sumere recusans. Evidem desideriis ejus, quantum fieri posset, respondere paratus spem restituendae sanitatis tamen nullam alebam. En, quae moliebar!

Omne scrotum simul cum inguinum integrimentis incio aegro scarificabam, unde iuchor putridissimus prorupit. Partes tum cortice peruviano in aqua calcis decocto fomentabantur. Postero die scarificationem, ubi opus erat, fomentationesque reiterabam, eo effectu, ut die Junii quindecimo omnes fere partes corruptae refecari potuerint. Magna cum laetitia testiculos omniaque scroti contenta in statu fano et integra reperiebam.

Appli-

Applicavi nunc decoctionem corticis peruv.  
in vino gallico cum peruviano balsamo, liquamine  
myrrhae et melle rosarum.

Subsequentibus diebus particulis sphacelosis,  
quae passim adhuc aderant, remotis die Junii XXII  
carnis recentis punctula, quod in tanta humorum  
vitiosorum abundantia sane mirum erat, in mar-  
gine ubique conspiciebantur.

Caeterum status aegroti adhuc idem erat.  
Appetitus nullus; nullus somnus; sitis magna; ex-  
cretiones per alvum atque urinam parcae; summa  
anxietas; respiratio difficilis. Nec in tanto tu-  
more cutis rupta ullibi liquorem percolabat.

Spe sanationis affulgente aeger usum pilula-  
rum concessit, quas ad resolvendos infarctus abdo-  
minales, utpote continuo morbum alentes, serio  
fuerat. Sequens formula erat: Rx Sapon. hispan.  
rasi drachmas sex, pulv. rad. rhab. dr. duas, scil.  
lae sulph. aur. antim.  $\frac{aa}{aa}$  dr. unam, Extr. trifol.  
fibr. drachm. quinque, M. f. pil. pond. gr. trium.  
Consp. pulv. lycop. D. S. Ter de die octo pil.  
sum. Simul decoctum e bacc. junip. et fol. trif.  
fibr. cum rad. liquir. bibebat.

Dorsum interim pulvinari e corio confecto  
et crinibus farcto contra excoriationem a decubitu

muniebatur. Reliqua remedia externa eadem.  
 Licet pilulae in aucta dosi usque ad quintam Julii  
 continuarentur, tamen nullam efficiebant excretio-  
 nem, excepto subinde levi vomitu. Statu in ge-  
 nere eodem manente aegro moroso medicamina  
 sequentia praescripsi: Rx Cr. tart. sol. Oxym. squill.  
 & unc. duas, Spir. sal. dulc. drachm. sex, Aquae  
 petrosel. unc. duodecim. M. D. S. Omni altera  
 hora duo cochl. sum. Rx Terr. fol. tart. unc. un.,  
 solv. in Vin. malvat. libr. un. D. S. quaque hora  
 cochl. dimid. Remediis his, ab ill. HUFELANDO  
 et BANGIO valde laudatis alternis diebus simul de-  
 cocto baccarum junip. propinatis die Julii octavo  
 aeger urinam copiose excernere coepit, simulque  
 pars dorsi exulcerata multum humorem fundebat  
 ita ut linta substrata saepe mutanda essent. Pariter  
 testiculi adeo aquam stillabant. Tumor inde fa-  
 ciei collapsus, et oculi antea clausi in conspectum  
 denuo veniebant. Quare remediis iisdem conti-  
 nuandis addebant saltem sequens linimentum abdo-  
 mini applicandum: Rx Camphor. Ol. cajep. & dr.  
 duas, Ol. coct. chamom. uncias duas. M. Ad  
 alvum morosam leni modo excitandam aliquot  
 cochlearia Infusi lax. cum pauxillo salis praebui.

En morbum his nunc tam subito depulsum,  
ut die XIX Julii abdomine ad naturale fere suum  
volumen decreto pedes tantummodo usque ad genua  
maxime adhuc tumerent. Facies, brachia, manusque  
prorsus detumuerunt, quamvis in brachiis debilita-  
tem quandam sentiret aegrotus. Appetentia ciborum  
redibat, corpus soinno nonnullarum horarum, ani-  
musque spe recuperandae sanitatis mirum quantum  
reficiebantur. Usque ad diem 25 Julii hanc medendi  
methodum prosecutus sum, tum vero animadver-  
tens abdomen collapsum nec ullibi in illo duritiem  
adesse, remediis hucusque exhibitis sepositis, diaetam  
nutrientem et ad corroboranda intestina sequens  
elixirium praescripsi: Ex Extr. trifol. fibrini, cort.  
peruv. aurant. gent. r.  $\frac{aa}{2}$  dr. duas, aquae menth.  
pip. unc. octo, tinct. mart. aper. unc. un. M.D.S.  
quaque tertia hora cochlear dimid. sum.

Pars dorsi exulcerata optimum præbens ad-  
spectum, usque ad perfectam sanitatem unguento  
DEUTII deligabatur. Oedema leve pedum infe-  
riorum fomentationibus e solutione salis ammo-  
niaci in aqua calcis dispellebatur. Nunc aegri vi-  
ribus in dies adactis avide cibos ille appetiit.  
Diaeta cauta praescripta usui demum omnium me-  
dicamentorum valedixit.

Die 16 Augusti ulcus dorsi usque ad exiguum partem sanatum vidi. Seroto prorsus fere regenerato nil nisi particula latitudine circiter digiti dimidii deerat. Margines callosos scarificabam, et exeunte Augusto plena sanitas restituta erat. Tum suspenforio per aliquantum temporis aeger adhuc usus est scrotumque aqua frigida omni mane lavari curavi.

Ab hoc tempore optime se habuit noster homo, nec quidem de infarctibus illis abdominalibus, inveterato isto malo, ullum vestigium superfuit. Uxorem iterum duxit liberosque procreavit.

Quantum gaudium restitutio hujus aegroti mihi attulerit, verbis exprimere vix possum, ingenuae tamen profiteor, ipsam vim naturae medicatricem ad perficiendam hanc curam plurimum contribuisse, sine dubio tamen ope illa chirurgica valdopere adjutam.

III.

*Vis medica praeflans olei Ricini in Ileo.*

In hisce duodeviginti annis, ubi medicum me praebui aegrotis, saepius praeflantiam illius remedium expertus sum in malis, quodvis aliud auxilium spernentibus. Omnino autem medicus orcessatur necesse est, antequam malum in sphacelum internum tendat vel jam transfierit.

Liceat mihi unicum saltem casum adferre ad probandam olei ricini virtutem eximiam in sananda passione iliaca. Alia ceterum remedia, ut clysmata etc., non solum haud superflua, sed potius cum illo simul necessario adhibenda sunt.

Joannes Huusmann, rustici servus, viginti septem annorum, sanguinei, ut dicitur, temperamenti, ab hero suo leviter baculo percussus est die 15 Februarii 1800, id quod ad iram proclivis et ambitiosus molestissime tulit. Die 17 Februarii pisces coctis immodice devoratis laborem consuetum adgreditur. Ad sudorem usque exaestuatus aquam frigidam copiose bibit, atque ad aestum sibi temperandum aëri liberiori sese exponit, pectore ventreque indusio tantum tectis. Dolor colicus vomitusque vehemens illum statim corripit. Cubitum eunti spiritus ardens cum pipere porrigitur, reme-

remedium plebi quidem in colico malo usitatissimum, sed non sine summo periculo inflammatorum intestinorum deglutendum. Octo horis praeterlapsis ad eum arcessor. Omnia iliaca passionis symptomata urgent: Vomitus continuus, dolores acutissimi, quietem vix ullam concedentes, sitis ardens, facies rubra, subfusca, manans sudore. Interea, quae vomitu reddiderat, faciem alvinarum odorem spargebant. Abdomen ut tympanum extensum a minimo contactu dolebat. Herniam non reperi.

Venaefectione in brachio facta duodecim sanguinis uncias detraxi, tum clysmata ex decocto saturato chamomillae et Valeriana cum afa foetida, melle et aceto composita injici curavi. Abdomini Camphora in Oleo chamom. soluta cum spiritu salis ammoniaci et tinctura Thebaica et insuper cataplasma emolliens applicabantur. Ad usum internum infusum aquosum praescripsi ex rad. rhei, valeriana, foliis sennae et flor. chamomillae, in cuius colatura uncis decem salis sedlicensis uncia una soluta est, omni semihora cochleatum sumendum.

Quamvis ventriculus statim cuncta vomitu rejiceret, usus infusi tamen continuabatur. Simul omni horae quadrante clyisma injectum brevi absque successu redibat.

Die 18 Februarii nona antemeridiana hora venaefectionem reiteravi. In reliqua cura nihil mutatum est praeter infusi dosin adiectam. In semicupum calidum ex speciebus emoll. in lacte et aqua coctis aegrumin demum immisi.

Cum adstantes morbum castigationi perpeccae adscriberent, et qui illam peregerat, cognatione me-

mecum conjunctus esset, equidem metuens, ne res male cederet, auxilium Dom. Assessoris a Willich, Physici hujus provinciae, mihi petii, qui vesperi demum adveniens, omnia quae adornaveram approbans, medendi methodum eodem modo persequi suasor fuit. Tum quid in casu necessitatis, ubi remedia hucusque adhibita forte irrita essent, de usu olei ricini tentiret, ab illo sciscitanti adsensum suum declaravit, licet parvam boni successus spem aleret. Aegrotum curae meae commendauis, negotiis obrutus post aliquot horas discessit. Nunc confessim sequentem medicinam adferri curavi:

Bx Olei ricini rec. expresi Unc. quatuor,

Gummi arab. Drachm. quatuor,

Aquae menthae piperat. Unc. octo.

F. l. a. Emulsio D. S. Quovis horae quadrante cochlearium fumendum.

Cum his Clysmata, inunctiones, cataplasmata et balnea adsidue applicata sunt. Clysmatibus bona pars olei lini immiscebatur, interdum etiam solo oleo lini illa constabant. Nec clysmata ex herba Nicotiana praetermittebantur.


Status aegroti nihilosecius in pejus ruebat; tumor abdominis increscens; febris vehemens, aegrotus delirans; abdomen urens ad tactum; facies, nunc pallida, nunc rubra; sudor frigidus e facie profluens; summus angor; sitis insatiabilis; dolores enormes. Nihil certius morte ejus metuebam. Quae interim ad horam noctis secundam die XIX Febr. adversus morbum moliebar, vana et irrita erant. Nunc emulsionem praescriptam e Pharmacopolio extraneo apportatam sine mora aegro propinavi, simulque clysma ex afa foetida injici curavi.


Nec


Nec non ad praecavendam inflammationem vena fecta est. Prima emulsionis praebia protinus vomitu rejiciebantur. Guttulis tum quindecim tincturae thebaicae medicinae instillatis vomitus rariores, dolores tamen ceteraque symptomata eadem. Decimum praebium denique alvum cum magno aegri levamine solvit. Cum jam excretiones alvinae frequentiores et liquidiores sequerentur, medicamentum longioribus intervallis praebebatur nec clysmata continuabantur. Omnes dolores cessabant, laetoque animo reliqui aegrotum in somnum incidentem, qui per duas noctes totidemque dies perpetua inquietudine turbatus fuerat. Postero die mite illi evacuans dedi. Aegrotus cito refectus die XXI Febr. lectum jam reliquit. Diaetam nutrientem praescripsi et quotidie aliquot doses infusi quassiae. Adhuc vivus nunquam in istum morbum relapsus est.

Eandem utilitatem eximiam mihi praestitit oleum Ricini in duobus aliis hujus mali, ne dicam, pluribus exemplis. Quare singulari illius virtuti in ejusmodi morbis maxime confido. Nonnulli quidem oleo lini vel alii oleo blando eandem assignaverunt vim, mihi vero fese talia non praestiterunt. Oleum Ricini recens esse debet; si vetustate corruptum est vel rancidum, effectus certus non est sperandus. Nonnunquam hocce oleum per se cum eadem utilitate adhibui.

Nil novi me his protulisse haud quidem ignoro, facile tamen mihi persuadeo, me hac simplici et vera relatione pro virili contribuisse ad paeclarum hujus remedii in malo adeo letifero vires eximias confirmandas.









in finem prodest simul e corio paratum crinibusque seu foeno farctum subdere pulvillum, cui dorsum aegroti proxime incumbit.

*d)* Simulac regio ossis sacri hinc inde rubescit, loci excoriati iterato succo Citri, aut spiritu vini vel ipsa aqua frigida laventur; id quod tamen confessum nec nisi per aliquot temporis momenta fieri debet, corpore non sudante.

*e)* Facies, manus, collumque saepius sponsgia, aceto calidiusculo aquave imbuta, abluantur celeriterque post resiccentur.

*f)* Aeger ad alvum deponendam haud e lecto surgat, sed excipulum paulo calefactum eo fine ipsi submittatur.

*g)* Lintea atque tegumenta excrementis conspurcata sine mora cum mundis, probe siccatis et calefactis permutentur; quae cuncta quidam in nosocomiis saepe multis difficultatibus premuntur.

### §. 16.

Ad vires labascentes erigendas statimque putridum corrigendum praecipue medicus sedulo advertere debet animum, licet simul negligenda non fint, quae tormenta et tenesmus exigunt auxilia, nux vomica puto et opium. Viribus magnopere dejectis symptomata dicta admodum levia esse

2\* pos-

